

260
**ECCLESIAE UNDECIMI SÆCULI
 HISTORICA SYNOPSIS.**



Undecimum sæculum, secundo sui Pontificatus anno Sylvester secundus auspiciatus est, Gerbertus antea dictus; qui primum Rhemensis Ecclesie promotus ad solium, indeque a Joanne XV. Pontifice dejectus, Ravennas creatus est Archiepiscopus; quo ex gradu ad summum profectus est Pontificatus, anno 999. in quo mutato nomine, Sylvester secundus dictus est, Romanum moderate Imperium Othone tertio, qui mox anno 1002. mense Januario vacuum Imperii sedem Henrico reliquit, Bavariae Duci, ejus nominis secundo, ab aucupe Germanorum Rege, sed Imperatorii tituli primo, cui Christiana pietas *Santi* nomen peperit. Hic virginitatem perpetuam cum uxore Cunegunde servavit, & affinitatem cum Stephano Hungarorum Duce inivit, collocata in matrimonium sorore sua Gisla; cujus hortatu, Stephanus ablegato idololorum cultu, Christiana sacra suscepit: quæ tantis virtutum meritis excoluit, populo quoque suo ad Christi fidem traducto, ut *Santi* nomen ac venerationem meruerit.

2. Hoc sæculo Normannorum ex Gallia oriundorum, mirifica præfuit in bello Italico virtus, quæ ipsam amplam & opulentam peperit dominationem Apulia, Calabria, & Sicilia, quibus partim Græci, partim Saraceni, prout fors armorum tulerat, dominabatur; quos inter bellum atrox exardebat. Saracenis Salernorum oblatione prementibus, quadraginta equites Normanni ex Jerosolymitana peregrinatione redeuntes, Salernum habitu peregrino appellunt, anno 1002. & Gaimaro urbis defensionem præfecto suam contra infideles operam pollicentur, acceptisque ab illo armis & equis, tanta vi irruptionem fecerunt in hostes, ut iis tum peremptis, tum in fugam actis urbem obsidione liberarent. Gaimarus missis ad Normannorum gentem numeribus & Legatis auxiliaries copias tam strenue gemit deponit, ad reliquum belli peragendum. Gisbertus Bate- rianus, unus ex Normannorum proceribus, se hujus expeditionis ducem offert, cui se alacres plerique ex eadem gente adjungunt, & Salernitanos Legatos sequuntur, una cum aliquot Italici cohortibus Græcos adiungunt, qui ante annos triginta Romanis Pontificibus Apuliam, Hydruntum, Calabriam & Campaniam eriperant, Normanni Italum Ducem Melum sequuti, tribus atrocissimis præliis, numerosissimos ab Imperatore Basilio secundo immisos exercitus Græcorum, magna strage fundunt. Sed quarto demum conflictu, Græcorum astu circumscripti Normanni, ad Cannas Apulie oppidum, Romanorum olim ab Annibale infesta clade insigne, magna strage caduntur. Melus ordinatis utcumque poterat Apulia rebus, ad Henricum Imperatorem iter intendit, ad comparanda adversus Græcos auxilia; qui ipse ingentibus copiis ex Germania & Italia collectis in Apuliam contendit, commissaque adversus Græcos acie memorabilem de illis victricem reportavit, anno 1022. multaque de eis oppida cepit, Normannoque Reinulfo Gisberti, quem supra nominavimus, fratris Aversam cum Comitatus titulo concessit. Ipse quoque in Germaniam rediit, Bambergæ sancto sine quiete, anno 1024. & perpetuum cum Cunegunde conjugio servatum virginitatis florem in cælum extulit. Hæc quæ superius dicta, referuntur ab eorundem temporum historicis, Leone Otienis, Glabro, & aliis.

3. Nec silendum est memorabile Christianæ humilitatis ac mutui obsequii exemplum, inter Henricum Imperatorem & Robertum Franciæ Regem; cum enim emensa Italia ad amnem Mosam, quo Imperium & Franciæ determinantur, accedere pararet; tum Robertus, officii gratia, eundem in locum proficiscitur, postmodum mane transire putabat, atque ex improvviso Henricum ad oppositam ripam convenire; hic vero omnem Regis diligentiam antevertit, & vix illucescente diluculo ad oppositam ripam navigavit. Dicit non potest, quam fuerit ille congressus inter magnos Principes animo & omni virtute conjunctissimos mirificus, lætus, & obsequiosus, simul Sacra Synaxi interfuerunt, simul pranderunt, simul amantissime de promovendo Dei cultu, de Ecclesie amplificatione, de Christianorum ubique constabulanda pace sermones contulerunt, Rege ubique præcedentiam Imperatori deferente, hoc vero constantissime recusante, congressusque omnes ad mutuum salutem æqualitatem reducende: In discessu nihil sincerius, nihil amantius excogitari potest, magnificentissima utrin-

que oblata munera, sed utrinque recusata, paucis exceptis cimeliis, ac manuiculis religiosis. Rodolphus Glaber lib. 3. cap. 2.

4. Ut Imperii Germanici plenior notitia elucescat, aliquanto altius series resumenda Imperatorum eorum, qui post extinctam Caroli Magni progeniem solium Imperiale occuparunt. Arnulpho Imperatori ejus filius a Principibus Germanis ex eadem Caroli Magni stirpe successor datus est Ludovicus III. anno 900. Sed huic, postquam annos duodecim regnum tenuit, sine liberis defuncto subrogare Principem Saxonem Conradum. Hic sub vite suæ exitum sibi designavit successorem Henricum Saxonie Ducem, dictum *Aucupem*, ob aucupii studium. Rogati Germani Proceres hanc designationem ratam habuere. Ab hoc Hungari soliti antea Germaniam incurfare ac depopulari, perdomiti bello represseque sunt. Henrico Aucupi filius ejus successit Otho ob victorias insignes cognomine Magnus. Qui Romam profectus, acclamatus est Imperator, fuitque a Joanne Papa XII. coronatus. Defunctum Othone Magnum excepit ipse & Adelaidis filius Otho II. Hunc pater in Vormatiæ comitiis sibi delegerat successorem ac Germaniæ Regem anno 961. Eundem posteaquam Romam advenit, Imperialibus insignis & corona redimivit Joannes Papa XIII. Hujus fortuna in bello admodum dispar parentis fuit. Contra Græcos enim, eorumque auxiliares Saracenos illato bello tantam accepit cladem, ut copia ipsius omnes interfectione deleter fuerint, ipse autem natando in fuga interceptus, & vix oblato pretio clam dimissus, haud diu post morte extinctus est.

5. Othoni patri successit Otho tertius, quem Gregorius quintus natione Saxo Imperatorem Romæ salutavit. Ille recepta de manibus Crescentii Consulis Adriani mole, quam tyrannicè invaderat, contra fidem datam illum morte damnavit, ejusque uxorem sibi matrimonio junxit.

6. Post Othone III. ad Imperii culmen ascendit Sanctus Henricus Bavariæ Dux, qui Stephanum Hungariæ Regem, data ei in conjugem sorore sua Gisla, ipsum & omnem Hungariam ad fidem Christianam traduxit.

7. Postquam sanctitate insignis Henricus II. morte sua ad superos concessit, legitimis eidem comitiis successus est Conradus, ex Vormatiæ Ducibus originem ducens, quem in ætatis primordiis a propriis consanguineis despectum Barchardus, Vormatiensis Episcopus, quasi adoptivum, in suam curam suscepit, magnaque sedulitate instituerat. Hic annis quatuordecim in Imperio exactis apud Trajesium Frisiæ moritur anno Chr. 1039.

8. Hunc filius successor excepit Henricus, electus primum Germaniæ Rex, qui necdum dictus Imperator Ecclesiam divexare cepit, atque tyrannicè adversus eam usurpare auctoritatem, qua Ravennatem Archiepiscopum abdicavit ann. 1045. Deinde Gregorium sextum Romanum Pontificem solio Apostolico exegit, intruso in eam Sedem Suidgero Bambergensis Ecclesie Antistite, qui se Clementem secundum nominavit, a quo unctus & proclamatus est Romæ Imperator una cum conjugæ Agnetæ anno 1046. Istiusmodi Ecclesie per laicos opprimenda licentiam primus sibi asseruerat Imperator Otho, ejus nominis primus, prosperis armorum successibus abutens, longaque dispar Carolo Magno, Francorum Regi, Religione præcipuo, qui suis armis Ecclesiam Romanam mirifice amplificaverat, suoque cultu & observantia quammaxime honestaverat. Prætextus vero exeundi Pontificatu Gregorium sextum, non alius ab Henrico obtendebatur, quam quia suus consensus non fuerat a sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalibus electoribus expetitus, Ipse vero Gregorius providens horrenda & atrocia bella, neque fortassis unquam desitura schismata, si jus suum tueri vellet, se lubens Pontificio abdicavit, veterem illam Gregorii Nazianzeni moderationem imitatus, se Constantinopolitano throno sponte demittentis.

9. Henricus postquam res Italia ad suum composuit arbitrium, metuens, ne per sui absentiam factione aliqua promotio Clementis perturbaretur, Gregorium a se depositum in Germaniam secum abduxit, qui comes adhibuit Hildebrandum Romane Ecclesie Diaconus, qui in ea professione Cluniaci in Gallia substitit, ibique monasticum professus est institutum.

10. Mortuo haud multo post Clemente, Henricus Romam misit Poponem Episcopum Brixiansem, ut in Pontifi-

Pontificem consecratur, qui omnium suffragiis receptus, Damasi secundi sibi nomen ascivit. Sed hoc brevi etiam defuncto, ne diutius Ecclesia indebito jugo cervicem subiceret, missa est a Romanis ad Henricum legatio, non ea quidem mente, ut ipse Papam eligeret, sed Romam illum mitteret, quem maxime utilem judicaret, ut ex veteri more a Concilio Cardinalium in ipsa urbe eligeretur & promoveretur. Henricus maximo totius Ecclesie commodo Brunonem Tullensium in Leucis Episcopum, ex nobili Francorum prosapia oriundum, Romam transmisit, qui secum duxit ex Tullensi Ecclesia eximii virum ingenii & prudentiæ Humbertum, factum postmodo Cardinalem & Legatum, cuius opera in rebus Ecclesie arduis summam contulit gloriam atque utilitatem. Cum autem Bruno assumpta Pontificali purpura iter profectus Cluniacense monasterium esset ingressus, reprehensus est ab Hildebrando monacho, quod insignia suprema Pontificatus ferre ante- verteret, perinde ac si eum esset a manu laica canonice consecutus. Bruno illi morem generis Pontificum illum dimisit ornatum, & Hildebrandum reliqui itineris comitem sibi adjunxit. Postquam Romam attigit Bruno, lætante acceptus est, legitimumque suffragiis in supremo solio collocatus, nomen sortitus Leonis noni. Henricus per Legatos rogatus, rem totam, uti gesta erat, ratam habuit. Postquam Leo naturæ debitum solvit, successorem habuit in primis Victorem secundum, deinde Stephanum nonum: quorum brevem Pontificatum Nicolaus secundus excepit, qui Synodum intra Lateranensem Basilicam coegit ann. 1039. ad prospiciendum, ne turbæ ac seditiones, quarum erat recens memoria, libertati Romani Cleri obstreperet in electione summi Pontificis, vacante sede.

11. Ea in Synodo istud editum Decretum fuit, prævalere Papæ electionem ejus, in quem vacante sede S. R. E. Cardinales libere consenserint, neque ulla ratione infringi debere. Sed his addita clausula hæc fuit: *Salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in presentiam Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente speratur, sicut jam sibi concessimus, & successoribus illius, qui ab hac Apostolica sede personaliter hoc jus imperaverint;* deinde ita insitit: *Ut non obstante pravorum atque iniquorum hominum perveritate, pura & sincera atque gravita sit Cardinalium & Cleri Romani, prævalereque electio vacante Sede Apostolica, sub interminatione maledictionis eterna.* Erant hæc velut suspicia Ecclesie sub indigna servitute gementis, nec tamen audentis jugum, quo premebatur, excutere. Refertur istud apud Gratianum, c. in nomine, dist. 23. Extitero tamen Antipapæ adversus hunc Nicolaum ejusque successores legitimos. Joannes enim Minicius Nicolaum exagitavit; Alexandrum secundum Cadalous, antea Parmensis Episcopus. Gregorium vero VII. qui Alexandro huic defuncto canonicis suffragiis electus est successor, impugnavit Guilbertus, qui fuerat Ravennas Episcopus. Similiter insequentes Romanos Hierarchas Victorem III. & Urbanum II. concitante diutino, quo regnavit tempore Henrico III. Quia tamen Germanorum Reges extorto per vim & factiones injusto privilegio in Ecclesia perniciose abusi sunt, eodem quam iustissime excidere commoverunt. *Privilegium namque meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, ut sanctus decernit Pontifex Gregorius Magnus, c. privilegium II. q. 3. & cap. tuarum, §. veterum de privilegio.*

11. Inausum atque funestum Ecclesie profus sæculum istud fuit. In primis quia Ecclesia Regis Regum Christi sponsa non a successoribus Petri regebatur, cui claves regni celestis Christus contulerat, sed a Principibus sæculi detinebatur captiva, eorumque cupiditatibus & ambitioni ancillari indignissime cogebatur, intrusus ad sacras dignitates hominibus flagitiosissimis, non pastoribus, sed lupis, qui Prælatibus auro & indignissimis obsequiis a laicis Principibus promerabantur, eorumque famulis; ita ut emptoribus certamen esset, quis eorum carius licitaretur, aut de ampliori pretio satisfaret. Alia quoque non inferior pestis Ecclesiam infestabat, & sædissime commaculabat, publica nimirum Sacerdotum cum mulieribus commercia & conviciis. Tanta vero inoleverat impudentia, ut Presbyteri & Diaconi promiscuas cum feminis nuptias publice & per tabulas publicas contraherent, convocatis utriusque sexus cognatis, & amicis privatum & publice congratulantibus. Ipsi vero uxorati Sacerdotes post Sacrum ad Altare celebratum, nocte insequenti cum pellice desponsata sibi, cubiliis consortio propudiose utebantur. Augebatur vero Ecclesie perniciis, quatenus nefarius solis istis Clericis opes & præbende sacræ affectabantur, quando- que Imperatorum, eisque famulantium Antipaparam scelerala potestas prævalebat. Tribus hæc pestibus, quasi tribus ab inferno accitis furis, aut tricipiti Cerbero, *Caussati, Notitia Ecclesiastica.*

sæculo isto profligatissimo sedabatur & infestabatur Ecclesia; scilicet Henriciana heresi, quæ sacra & inviolata Ecclesie jura potestatemque laicis Germaniæ Principibus asserebat; Nicolaitarum turpitudine, atque Simonia perversitate.

12. Berengarius suam spargere cepit heresim, regnante Roberto, excludentem ab Eucharistiæ Sacramento corporalem Christi præsentiam. Primus adversus hunc Hæresiarcham scripsit Durandus Leodiensis Episcopus, deinde Adelmannus, postea Brixianensis Episcopus, qui fuerat olim Berengarii sub magno Fulberto in Academia Carnotensi condiscipulus: hic porro Hæresiarcha Ecclesie Andegavenensis Archidiaconus, Brunonem ejusdem Ecclesie Episcopum, in eandem vesaniam egit præcipitem. Cumque multis Conciliis damnatus sapientior in eandem relapsus fuisset, obiit tandem in Catholica professione, ut scribit Willelmus Malmesburiensis anno 1088.

14. Post sancti Henrici obitum, Conradus Princeps, ex Ducibus Womatiæ ortum ducens, quem in ætatis primordiis a propriis consanguineis despectum, Burcardus Womatiensis Episcopus quasi adoptivum suscepit, magnaque sedulitate instituerat, electus est Archiepiscopus aliorumque Germaniæ Principum suffragiis Rex Germanorum anno 1024. Imperii vero coronam Romæ a Joanne Papa vigesimo sumpsit, ipso Paschatis die, anno 1027. Conrado demum anno 1039. defuncto, ejus successus est filius Henricus in Regnum Germaniæ, dictus ejus nominis Regum tertius, Imperatorum vero secundus. Hic moritur anno 1056. relicto hæredem filio pariter Henrico Imperatorum ejusdem nominis tertio, Regum Germaniæ quarto: quinquennis puer regnum iniit, quod maximo rei Christianæ damno, ad duos & quinquaginta produxit annos.

15. Anno 1041. magna rerum mutatio in Polonia contigit; ante aliquot annos Poloni, per aliquorum rebellium Ducum factionem, post Mieslai obitum, ejus filium Casimirum, adhuc puerum, sub matris tutela regnantem, regno una cum matre expulerunt. Hæc in Germaniam aufugit, ille Parisius delatus, literis ibidem operam dedit, unde Cluniacense monasterium adiens, inter Monachos incognitus adlectus est, & sacrum apud eos Ordinem Diaconatus, hortatu Abbatiss, suscepit. Interea Poloni, & bellis extraneis afflictissimis lacerati, simulque civilibus per Proceroz ambitionem, mutuanque emulationem confictati, id consilii ceperunt unanimes, revocandum & regni gubernaculis admovendum Casimirum. Nesciebatur, quo loco degeret Casimirus, Legati gentis ab ejus matre adducunt, versari apud Cluniacum, eo Legati pergunt, & apud Abbatem Odilonem causa legationis exposta, summaque regni in ultimas angustias redacti necessitate, Optimatum consensu & populi votis, veniam impetrant, visendi Casimiri, qui diutina quieti assuetus, curisque sæculi profus abdicatis, voto duplici se tuetur, & monastica professionis, & facti, quo erat inauguratus, Ordinis. Abbas Odilo consulti aditum ad supremam Sedem, ejusque standum esse judicio monet. Eo tempore Benedictus nonus annum agebat sui Pontificatus octavum, illum Legati convenerunt, & impense obsecrant, Casimirum sibi concedi, & cum eo de nuptiis dispensari, ne quando populi ob regia prolis defectum, in eadem calamitates reciderent. Urgebat regni gravissima necessitas, obstabat tamen hujusmodi ad matrimonium dispensationis novitas, cuius nullum hæcenus suppetebat exemplum. Benedictus rem mature expensa, solis ad Deum multiplicibus precibus, & nonnullis pro votorum communibus piis conditi- nibus injunctis, Legatorum, & totius regni desiderii acquievit, eaque res pacem & felicitatem in regum inivit.

16. Nec minor post biennium, sub eodem Benedicto nono, facta in regno Angliæ commutatio. Sciendum, Danos sæpius Angliam invasisse, anno enim Christiani 874. ab eis multis victus præliis Boerredus Merciorum in Anglia sapientissimus Rex, tandem Danis regno cedere coactus est, eoque profugus Romæ obiit, Tincti autem Regina, quæ ipsum sequuta fuerat, morte extincta est. Anno postmodum 1011. novam infestationem eamque gravissimam a Danis passa est Anglia, qui omni crudelitate & libidine debacchati sunt, Anglosque ad fœdus coegerant, cuius ipsi perpetui & publici infractores fuere, uxores & filias virorum nobilium vi opprimentes, & ubique ludibrio tradentes, & privatorum bona diripientes. Quæ ex causa Ethelredus, Anglorum Rex, secreto litteras ad omnes Regni fines scripsit, ut omnes Dani, per universam Angliam dispersi, furtivo impetu interimerent. Atque ita ab illorum tyrannide Anglia tantisper respiravit. Annoque 1016. mortuo Ethelredo, ex Anglo Saxonum stirpe